

Q. D. B. V.

18c

NOVITATEM  
REGIMINIS MO-  
NARCHICI  
IN ECCLESIAM UNIVERSAM

PRÆSIDE  
SALOMONE DEYLINGIO,  
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORE, EJUSDEMQUE  
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, CAPITULI CI-  
ZENSIS CANONICO, CONSISTORII ASSESSORE,  
NATIONIS MISNICÆ SENIORE, ECCLESIAE HUIUS LOCI  
AD D. NICOLAI PASTORE, ET DIOECESEOS  
LIPSIENSIS SUPERINTENDENTE,

IN ACADEMIA, QUÆ LIPSIÆ FLORET,  
ET IN IPSIS JUBILÆI AUG. CONF. SECUNDI  
SOLEMNIBUS

PERSPICUE EXPONET

NICOLAUS REJERSEN, HAFN. DANVS.  
DISSERT. III.

---

D. III. Julii A. O. R. dō 15 ccxxx.

---

LIPSIÆ, LITTERIS SCHEDIANIS.

NOVITATEM  
REGIMINIS MO-  
NARCHICI  
IN ECCLESIA UNIVERSAM

PRÆSIDE  
SALOMONE DEYLINGIO,  
S. S. THEOLOGICÆ DOCTORIS, EIVSDEMQUE  
PROFESSORIS PUBLICO ORDINARIO, CAPITULI CI-  
VENSIS CANONICI, CONSISTORII ASSASSORIS,  
NATIONIS MISSIONIS SENIORIS, ECCLESIE HUNGARICÆ  
AD N. NICOLAI PASTORIS ET DIOCESEOS  
LITENSIS SUPERINTENDENTIS.

IN ACADEMIA, QUÆ LIPSIAE FLORET,  
ET IN IPSIS JUBILEI AUC. CONF. SECUNDI  
SOLEMNIBUS

PRÆSIDI EXORNT  
NICOLAUS REJERSSEN, HAVN. DANVS.  
DISSERT. III.

---

D. III. Julii A. O. R. M. D. C. C. XXX.  
LIPSIAE, LITTERIS SCHEDIAHNI.





IX.

Quemadmodum post pacem a Constantino M. Ecclesiis redditam ple-  
rorumque Episcoporum luxus &  
fastus maximopere crevit, ita ab  
eo in primis tempore permagna ef-  
se cœpit & ambitio & auctoritas  
& potestas antistitis Romani, in-  
tra Ecclesiarum suburbicariarum  
limites amplius non coercenda,  
quin potius variis artibus postea  
magis magisque amplificanda.

L :

EXPO.

## EXPOSITIO.



## §. I.

Christianorum antistitum fastum & in regalibus mensis, vehiculis & vestibus apparatus atque luxum non profani tantum, & a sacris nostris alieni scriptores reprehenderunt, sed notarunt etiam ea vitia Doctores Christiani. Ex illis nunc commemorabimus GREGORIVM NAZIANZENVM, qui *Orat. XX.* BASILIVM laudaturus, commemorat aliorum episcoporum *coquos, & lautas mensas, & cupediariorum lenocinia, & scitamenta* (μαργαριθιακα και κομψευματα) *& elegantes currus, & vestes molles, ac diffuentes.* De BASILIO autem, Cappadocia non tantum, sed totius diocesis Ponticæ Exarcho ac Primate, prædicat τὴν μίμησιν Χριστοῦ, *imitationem Christi*, humiliter de se sentientis. Plura de luxu, fastu & pompa antistitum sui temporis tradit *Orat. XXXII* coram CL. Præsulibus recitata. Ubi *f. 522.* notat, multos principatus, aut sublimium thronorum studio duci, aut Imperatorum aulas sectari. Alios equis insignibus, & lascivis ferri, sellisque & curribus magnifice attolli, ac cum fastu & pompa deduci, & blanda velur manu demulceri, atque omnes illis, perinde ac belluis, de via decedere, & in utramque viam partem scindi ac distrahi, oportere. Tantam esse præeuntium turbam, ut procul conspicuus sit episcopi incessus, *l. c. f. 526.*

## §. II.

Intolerabilem Romanorum Præsulum fastum & luxum sua ætate observavit AMMIANVS MARCELLINVS *Libro XXVII. Cap. III. f. 481.* occasione contentionis pro adi-

adipiscendo pontificatu Romano inter URSICINUM & DAMASUM, qui in eo certamine superior evasit. *Neque ego abnuo*, inquit Historicus gentilis, *ostentationem rerum considerans Urbanarum, hujus rei cupidos ob impetrandum, quod appetunt, omni contentione laterum jurgari debere: cum id adepti, futuri sint ita securi, ut ditentur, oblationibus Matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspicte vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivium regales superent mensas.* Idem Rom. Pontificum luxus & rerum omnium splendidissimus apparatus PRÆTEXTATO, Urbis Romæ præfecto, idolorum cultori, invidiam movit, qui teste HIERONYMO *Epist. XXXVIII, edit. Martianæi T. IV. Op. f. 310*, ludens dicere solebat Patre DAMASO: *Facite me Romanæ Urbis episcopum, & ero protinus Christianus.* Quæ AMMIANI & PRÆTEXTATI verba BARONIVS in laudem Rom. Pontificum imprudenter traxit, *ad A. Chr. CCCLXVII. Num. IX. f. 203*, probaturus, regiam magnificentiam jam tum cum Romano episcopatu fuisse conjunctam. Deorum cultoribus movisse invidiam Christianæ religionis summum pontificatum, adeo insigniter externis quoque splendoribus illustratum. Fatetur Annalium conditor, Romanum Episcopum jam illo tempore claritudine magis conspicuum apparuisse, quam gentilitiæ superstitionis Regem sacrificum. *Male hæc ab ethnico scriptore, æque ac hereticis recentioribus, carpi, ac canino dente rabiosius corrodi.* Sed bona verba, quæso! Hæc ab Apostolis, & ab ipsomet Christo reprehenduntur, cujus imitatores Episcopos esse decet. Præstitisset certe in ægros & pauperes erogasse, quæ illi profuderunt in luxum.

## §. III.

Romanis Præfulibus huc dum dignitatem singularem, & pereximiam auctoritatem conciliaverat amplitudo Urbis, quæ totius orbis domina ac caput erat. Accedebat præstantissimorum Doctorum multitudo, atque antistitum sinceritas, & constantia in tuenda doctrinæ Christianæ integritate, cum orientis ecclesiæ dissidiis misere distracta & corrupta essent, nec non beneficentia in alias Ecclesias, & gratia Imperatorum, qui lites inter Præfules alios coortas, Romano & vicinis Episcopis nonnunquam tradebant dijudicandas, & conspiciendas. Potentiam & ambitionem Romani præfulis auxit primatus ordinis, prisca diuturnaquæ consuetudine introductus, & a Nicænis Patribus confirmatus, nec non perturbatus Ecclesiarum orientalium status, propter hæresin ac furorem Arianorum. Cumque sedes Romana ab ejusmodi corruptelis diu maneret immunis ac salva, eaque dignitate ac ordine prima, atque a PETRO & PAULO, qui auctoritate inter ceteros CHRISTI legatos eminebant, fundata esset, ei in causis disciplinæ non solum, sed & doctrinæ, plurimum delatum fuit. Antistites, Arianorum injuriis exagitati, & munere sacro dejecti, expulsique, ad Romanum confugiebant, *Canone IV.* Concilii Sardicæ fræti, quem BARONIUS, BINIUS, ALLATIUS, aliique de provocacionum jure perperam exponunt, & quem sub initium seculi quinti ZOSIMUS pro Nicæno Canone Afris fraude manifesta obtrudere voluit. Sed Canon iste Sardicæ, ad petitionem GAUDENTII in Achaja Episcopi, qui sibi VALENTIS & URSACII, Arianorum Præfulum vicinia, & potentia metuebat, conditus, hoc dumtaxat innuit, ut, si quis Episcopus esset depositus a vicinis Episcopis, eo in casu JULIUS  
Roma-



Romanorum antistes, cum sua Synodo judicans, posset discernere, ut in eadem provincia causa retractaretur, nempe ab ejusdem provinciae Episcopis. Si Romanus Pontifex eo Sardicensium decreto summus iudex, & litium in quibuscunque provinciis finitor, ac summus dictator constitutus fuisset, sicut gnathones exponunt, contradixissent Sardicenses Patres Canoni Nicano *Sexto*, quo sapientissime cautum erat, ut causae Ecclesiasticae quaecunque, & lites, in provinciis natae, non ad Romanum antistitem, tanquam summum controversiarum iudicem, deferrentur, sed ut definirentur intra eandem ἐπαρχίαν ἀπὸ τῆς ἐπαρχίας συνόδου, a provinciali Synodo, h. e. ab omnibus conjunctim totius provinciae Episcopis. Legantur LAUNOJUS, PETRUS DE MARCA & EDM. RICHERIUS in *Historia Concil. General. L. I. Cap. III. §. IV.* ubi p. m. 89. ostendit, *canones Concilii Sardicensis de appellationibus ad Romanum Episcopum, & de facultate mittendi legatos a latere, non esse absolutos, & oecumenicos, sed tantum provisorios, quo nimirum saluti & quieti orthodoxorum provideretur. Siquidem nominatim de JULIO, non de sede Apostolica loquuntur. Consentit PASCASIVS QVENELLIVS docens, revera nihil de appellationibus decrevisse Sardicenses Patres, sed tantum retractationis, seu revisionis causae decernendae Romano Episcopo potestatem fecisse, Dissert. Apolog. pro S. Hilario Part. I. Cap. XV. f. 256. Idem novissime visum est JOSEPHO MOTTE de *Fure Metropolit. §. CXXV. p. 163. & §. CXXIX. p. 168.* ubi notat, circa medium seculi quarti appellationis proprie dictae vocabulum, adhuc ignotum in Ecclesia fuisse.*

PETRUS DE MARCA teste observavit, dicitur  
 Metochium esse diocetecos hanc caput, in consuet.  
 §. IV.

## §. IV.

Hucusque Romani Præsulis potestas, intra Ecclesiarum suburbicariarum limites coacta, ad universam Italianam sese non extendit; Et provinciæ Italiae, strictiore sensu sumptæ, c. g. Æmilia, Alpes Cottiar, Liguria, utraque Rhetia, Venetia item & Histria, dicecesin Italicam constituentes, cum Mediolano Metropoli, Præsulis Romani jurisdictioni non fuerunt subjectæ. De Mediolano constat, eam frequenter Metropolin Italiae, vocari. ATHANASIO commemoratur DIONYSIVS, ὁ ἀπὸ Μεδιολάων, ἔστι δὲ καὶ αὐτῆ μιντρόπολις τῆς Ἰταλίας, antistes Mediolani, est autem & ipsa Metropolis Italiae, Epist. ad Solitarios T. I. f. 363. Idem legas apud THEODORETVM L. II. H. E. Cap. XV. Videatur PHIL. BERTERII Lib. I. Pirhanón Cap. III. p. 21. Sed Præsul Mediolanensis ab antistite Romano nunquam fuit consecratus. Quod tamen fieri debuisset, si Metropoliticae, vel Patriarchali ejus jurisdictioni obnoxius fuisset. Contra Mediolanensis semper ab Aquileiensi Episcopo initiatus fuit, quemadmodum vicissim Aquileia, & aliorum locorum dicecesis Italiae Episcopi, a Mediolanensi siveverunt consecrari. Res manifesta est ex epistola PELAGII I. Papæ, qui circa medium seculi sexti Ecclesie Romanae præfuit. Is Epistola XVIIJ saetur, morem fuisse antiquum, ut ipsi se invicem Mediolanensis & Aquileiensis ordinarent episcopi. Insinuare tamen conatur, eam consuetudinem introductam esse ob itineris difficultatem, & vitandos sumtus, qui electo incubuissent, si Romam, impetranda consecrationis causa, adire debuisset. Sed hujus instituti rationem non aliunde petendam esse PETRUS DE MARCA recte observavit, quam quod Mediolanum erat dicecesos Italiae caput, ut constat

ex

ex Concilio Aquilejensi. Hanc ob causam ordinatio Metro-  
 politæ Aquilejensis non ad Romanum, diversa diœceseos  
 Primatam; sed ad Mediolanensem, optimo jure pertinuit.  
 Primatis vero Mediolanensis consecratio ad Aquilejensem  
 Præsulem spectavit, quia inter Metropolitanos diœceseos Ita-  
 lia primus erat. Idem evincit & dilucide probat AMBROSII  
 Mediolanensis electio, & consecratio, facta a Synodo totius  
 Italia, (videlicet superioris & stricte dictæ) Imperatoris VA-  
 LENTINIANI decreto coacta. Unde intelligitur, ea tem-  
 pestate Romano Pontifici nihil juris competiisse in ordinatio-  
 ne Metropolitanæ, vel Primatis Mediolanensis. A qua Ro-  
 manus Præsul manus per multum avi abstinuit, dum sub ini-  
 tium demum septimi post Christum natum seculi consuetudo  
 invaluit, ut S. Pontificis consensus ad Metropolitanæ Medio-  
 lanensis ordinationem necessarius esset. Hoc PETRVS DE  
 MARCA colligit ex epistola quadam GREGORII Magni,  
 sed simul observat, distingui illic accurate jus canonicum  
 episcoporum comprovincialium, quod GREGORIVS *veteri*  
*mori* adscribit, ab Ecclesia Romanæ possessione, quam sim-  
 pliciter *consuetudinem* adpellat, sine dubio post schisma de-  
 mum ecclesiarum Mediolanensis & Aquilejensis introdu-  
 ctam. Legatur *Concordia Sacerdotii & Imperii L. VI. Cap.*  
*IV. Num. VII. f. 74.* Idem a GVIL. CAVEO, aliisque vi-  
 ris eruditis de *Ravenna*, & alijs Italia locis, observatum est,  
 quæ de jurisdictione, & subjectione cum Romanis Episcopis  
 frequenter & acriter concertarunt. Videatur GVIL. CAVEI  
 Liber de *Antiquæ Ecclesiæ Gubernatione* lingua Anglicana  
 editus *Cap. V. toto p. 201 - 266*, ubi horum certaminum hi-  
 storiam, per multa secula deductam, habes.

§. V.  
 Quando probavimus, Romani Præsulis potestati seculo *quarto, quinto, & ultra*, ne Italianam quidem subjectam fuisse, facile etiam intelligitur, eam in transmarinas, aliasque Ecclesias, nihil juris habuisse, quia illæ Ecclesiæ non fuerunt suburbicaria: Id de Gallicanis pererudite demonstravit STEPHANVS BALVZIVS *Præfatione* in librum ANTONII AVGVSTINI de *Emendatione* GRATIANI. Unde patet, Synodos Gallicanas ante octingentos annos nullam unquam appellationem a decretis suis ad Pontificem Romanum fieri permisisse. Ex Concilio Aurelianensi secundo A. Chr. DXXXIII. celebrato, ejusdemque canone VII. T. II. *Concil.* HARDUINI f. 1173. apparet, Metropolitanum Episcopum a comprovincialibus episcopis, clericis, vel populis, electum, *congregatis in unum omnibus comprovincialibus episcopis*, secundum antiquam institutionis formulam ordinatum esse. Eadem Ecclesiæ Gallicanæ Romanorum Præsulum usurpationi diutissime fortiterque resisterunt, id quod & BALVZIVS & CAVEVS locis antea citatis ample probarunt. Legatur PASCH. QVENELLI *Dissertatio Apologética pro S. Hilario*, quæ adjecta est Operibus LEONIS M. P. I. Cap. XIV. f. 254. ubi prolixè ostendit, nullam unquam appellationem a Gallicanis partibus ad Romani Episcopi tribunal esse delatam, ab ipsis fidei incunabulis usque ad tempora HILARII Arelatensis: Quo demum tempore Gallis de provocationum jure LEO M. controversiam movit.

§. VI.  
 De Ecclesiis Britannicis certum est exploratumque, eas libertatis tenaces ferius Romani Pontificis jugum subisse. Hinc AVGVSTINVS monachus in Britannia n. delatus, & Brito-  
 num

num episcopis pervasurus, ut Præfuli Romano sese submitterent, responsum in hanc sententiam accepisse dicitur: *Se nescire obedientiam, Papæ Romano debitam. Esse se sub gubernatione episcopi Caerlegionis super Osca, qui sit sub DEO ad SUPERINTENDENDVM super eos, vel supremus eorum antistes.* In celebrando paschate morem antiquum, a Romanæ Ecclesiæ consuetudine diversum, diu retinuerunt, nihil morati Pontificis mandata, aut emissariorum argumenta. Quod manifestum est indicium, Britones eo tempore Romani Pontificis potestatem patriarchalem in se nondum agnovisse. Priscam hanc patriæ suæ libertatem egregie vindicarunt. BREREWOODVS, WATSONIVS, CAVEVS & STILLINGFLEETVS, nec non JOSEPHUS BINGHAMUS, *Originum sive Antiquitatum Ecclesiasticarum Lib. IX. Cap. I. §. XII.* ubi SCHELSTRATIVM, qui responsum illud, AVGVSTINO monacho datum, & ab HENR. SPELMANNO ex codice manu exarato foras editum, spurium esse dixerat, crudite solideque confutavit.

## §. VII.

De Ecclesiis Africanis res est in vado. Illæ enim semper proprium suum habuerunt Exarchum, Primatem videlicet Carthaginensem, nulli externæ jurisdictioni subiectum. Res perspicua est ex historia & conciliorum Africanorum actis. Nunquam pro impetranda suorum antistitum inauguratione, vel confirmatione Romani miserunt, nec ulla in causa provocaciones ad sedem Romanam permiserunt, quin potius, ne quis eo provocaret, graviter interdixerunt. Res liquet ex Concilio Milevitani II. sub initium seculi *quinti*, anno videlicet CCCCXVI celebrati, *Can. XXII. T. I. Concil. HARDVINI f. 1221*, ubi decernitur, *ut clerici in causis,*

M 2

quas

quas habuerint, si de iudiciis Episcoporum suorum questi fue-  
 rint, vicini episcopi eos audiant, & inter eos quidquid est,  
 finiant. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non  
 provocent, nisi ad Africana concilia, vel ad Primateſ pro-  
 vinciarum suarum. Ad transmarina autem (Romam vide-  
 licet) qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in  
 communionem suscipiatur. Hunc canonem aliarum Synodo-  
 rum generalium decretis Afri confirmarunt, praesertim cum  
 APIARIUS, presbyter Afer, sed homo nequam, ad Roma-  
 nam sedem nefarie provocaret & confugeret, ac ZOSIMVS  
 eum, missis legatis, pristinae sedi atque communioni resti-  
 tuere niteretur. Quod Afri ajunt festinato, praepropere &  
 indebite factum esse. Hinc graviter hortantur Romanum  
 Praesulem: Clericorum improba refugia, sicuti te dignum est,  
 repellat sanctitas tua: quia & nulla patrum definitione hoc  
 ecclesiae derogatum est Africanae, & decreta Nicena sive in-  
 feriores clericos sive ipsos episcopos suis Metropolitanis aper-  
 tissime commiserunt. Prudentissime enim iustissimeque provi-  
 derunt, quaecunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, fini-  
 enda. Haec & plura alia in eandem sententiam Codici cano-  
 num ecclesiae Africanae Cap. CXXIV & CXXXVIII. Tom. I.  
 Concil. HARDVINI f. 947. & 950. leguntur inserta, & dilu-  
 cide probant, D. AVGVSTINI aetate Romano Praesuli ni-  
 hil juris & potestatis in Africanas Ecclesias fuisse. Quarum  
 antistites praecclare & opportune monent, magnum esse disci-  
 men inter appellationes & perfugia clericorum. Concede-  
 runt, Ecclesiam Romanam perfugium fuisse ATHANASIO,  
 JO. CHRYSOSTOMO, aliisque, Arianorum, aliorumque  
 furore hostium exagitatis, & suis sedibus expulsiſ. Negant  
 tamen id fieri per modum iuridicae appellationis, qua sup-  
 ponit

ponit iudicem superiorem, & proprie dictum, qualis Romanus antistes non erat. Oleum igitur operamque perdidit Card. DE AGVIRRE *T. I. Concil. Hisp. Diss. VII. fol. 107.* probaturus, usum appellationum ad sedem Romanam fuisse perpetuum, nec non CHRIST. LUPUS, quidem argumentum copiose tractavit, ac MARGUS ANTONIUS CAPPELLUS, Franciscani ordinis monachus, in *Dissert. de Appellationibus Ecclesie Africanae ad Romanam sedem*, Parisiis Ann. 1622. primum edita, & postea sub finem superioris seculi in *Bibliotheca Maxima Pontificia*, Romae XXI Tomis in folio edita, *T. XVI. fol. 231.* cum aliis CAPPELLI opusculis a JO. THOMA DE ROCABERTI, Archi Episcopo Valentino, & Hispaniarum Inquisitore Generali, inserta, sed tertium recusa Romae 1722 ad exemplar Bibliothecae Albanae, majori ex parte immutatum, correctum, & auctum ab auctore ipso, qui lectori conatur persuadere, canonem Africanum, antea commemoratum, non inscio, sed adprobante Pontifice Romano conditum; per Ecclesias transmarinas non intelligi Romanam, sed alias minores, videlicet *Mediolanensem, Arelatensem*; appellationem item transmarinam non prohiberi in causis majoribus, sed solum minoribus, & qui sunt alii summos nugator vendit. Hominis ineptias breviter strictissime confutavit Cael. PRAEFFIVS *P. III. Introductionis in Historiam Theologiae Literariam*, ubi liber ipse notis & observationibus illustratus *p. 41.* exhibetur. Adeundus legendusque est de hoc appellationum argumento LUD. ELLIES DU PIN *de Ecclesiae Disciplina Diss. II. p. 176.*

§ VIII.

Verum Romani Praeulibus potestas intra loca submoenialia perpetuo contineri non potuit. Mutata Respublica facie

post barbaros in Italiam perinde, ac ceteras Romani orbis provincias effulsos, & ferale occidentalis Imperii excidium, tandem ipsum suburbicariarum regionum nomen evanuit, & Romana Ecclesia Episcopi, præpotentes Patriarchæ facti, sensim paulatimque sibi subijcere conati sunt universum Occidentem. Ad hoc efficiendum uti sunt & occasione & infidiis & artibus. Opportunitatem potentia amplificanda primo suppeditarat Romanorum Imperatorum absentia, qui plerumque *Ravennæ*, aut *Mediolani*, *Constantinopoli*, *Sirmii*, & alibi, *Romæ* autem *perraro*, commorabantur. Postea egregium præferenda jurisdictionis fundamentum jecit famosa VALENTINIANI III. *Constitutio*, omni favorem LEONIS I. promulgata, vel hujus potius auspiciis, ac stylo concepta, quæ in *Novellis Constitut.* THEODOSII *Tir.* XXIV. *de Episcoporum Ordinari.* & apud BARONIVM *T. VI. Annalium ad A. CCCCXLV. f. m. 3r.* & in *Tomis Conciliorum* exstat. Hæc tota pertinet ad amplificandam Papæ Romani jurisdictionem. Illi enim subijciuntur omnes Galliarum episcopi, & *universitas Ecclesiarum toto occidente*, ut *reverentia Apostolicæ sedis, & Petri, Principis Apostolorum, cui ut Apostolorum omnium summo*, curam universæ Ecclesiæ Christus commisisset, illius judicium subire cogerentur, adeoque nec HILARIO, *Arelatensium præsuli*, cui LEO omni exercitio jurium Metropolitancorum interdixerat, nec cuiquam alii, *præceptis Romani Episcopi fas esset obviare.* Sed quis non videt, LEONEM, ob perpetuum potestatis Pontificiæ amplificandæ studium cognomen MAGNI adeptum, temporis opportunitate callide usum, in causa propria, non auditis Galliarum Episcopis, a Principe juvene, fere sub matris tutela adhuc constituto, emendicasse eam legem, falsissimis hypothefibus nixam, videlicet

hoc

ε M



delicet, Romanæ sedis principatum stabilitum esse tum merito & institutione *Petri*, qui *Princeps esset episcopalis coronæ*, tum auctoritate *Synodi Nicenæ*, ac veteri consuetudine. Quæ omnia longe sunt falsissima. Antiquitatis Ecclesiasticæ peritis exploratum est, novellam illam VALENTINIANI III. constitutionem vim fecisse consuetudini antiquæ, & singularem Canonibus Sardicensibus anno CCCXLVII conditis, quibus decretum fuit, ut, si quis Episcopus ab aliis vim passus, & injuste depositus esset, JULIUS ROMANUS non quidem causam Romam evocare, & ad se, tanquam ad universalem, & supremum orbis Christiani iudicem trahere, sed alios iudices in eadem provincia decernere posset, qui examen & iudicium, si Romano antistiti ita videretur, renovarent. Res adeo certa & manifesta est, ut ipse PETRUS DE MARCA *Lib. VII. Concordiæ Cap. XVIII. §. VI. f. 258* fateatur, illud VALENTINIANI rescriptum novum ius introduxisse, canonibus Sardicensibus adversum. Hanc ob causam legis istius observantia & exercitio Itali, Galli, Hispani, & alii occidentis Episcopi ditè & acriter intercesserunt, negantes, antistites quoscunque Romam evocari, aut pro lege haberi posse, quidquid Romana sedes sanxisset, aut in posterum sancitura esset. Existimant enim, fatente PETRO DE MARCA *l. c. sic obsequendum esse Pontifici, ut interim nihil detrahatur de canonum Sardicensium auctoritate*. Adeundi sunt Galli, libertatis Ecclesiasticæ assertores, & imprimis PASCH. QUENELLIUS in *Dissertatione Apologetica pro S. HILARIO, & antiquis S. Ecclesiæ Arclatensis juribus*, quæ adjecta est operibus LEONIS M. *f. 228*. nec non DAVID BLONDELLUS *de la primauté en l'Eglise Cap. XXV. Sect. 60. f. 330*. & FR. SPANHEMIUS *H. E. T. I. Op. f. 287*.

§. IX.

Hac secunda fortuna usi antistites Romani auctoritatem subinde magis coeperunt efferre. Jurisdictionem amplificaturi, LEO & ejus in pontificatu successores, HILARUS, SYMMACHUS aliique, constituerunt VICARIOS Romanæ sedis in Gallia, cum potestate concilia generalia, & diocesana ex pluribus provinciis indicendi, & Metropolitanos, qui huc dum *ἀρχιεπίσκοποι* fuerant, ad illa conyocandi, cognoscendique de causis episcoporum, easdemque Roman ad S. Pontificis tribunal evocandi. Ejuscemodi *Vicariatum* gesserunt *Arelatensis*, deinde *Rhemensis*, nec non *Metensis*, postea *Senonensis* & *Moguntinus*, aliique Præsules. Idem antea in Illyrico jam tentaverat BONIFACIUS I, qui omnium primus vices suas delegavit RUFO Thessalonicensi, qui Romano Præsuli, tanquam remotiori subesse malebat, quam Constantino-politano, cui THEODOSIUS junior expresse concesserat prerogativam in omnes Illyrici provincias, quæ est lex VI. de Sanctis Ecclesijs in Codice Justiniano. Prædecessoris exemplum secutus est LEQI, qui ANASTASIO Thessalonicensi vices sui moderaminis delegavit, ut longinquis a se provinciis presentiam quodammodo sue visitationis impenderet, apud HARDUINUM T. I. Concil. fol. 1765. Eadem epistola existat inter opera LEONIS M. a PASCH. QVENELLIO edita Num XII. f. 221.

## §. X.

Cum Vicariatu aliquando transmittabatur PALLIUM, ut probatur exemplis Arelatensium Præsulum, qui sæpius ea auctoritate ac ornamento leguntur usi. Origo rei sic satis vetusta splendidaque fuit. *Pallium* enim ejusmodi, græce *ἀρχιεπίσκοπον*, non fasciis aliquot lanceis, ut hodie, constabat, sed vestis

vestis erat augusta, fulgens, ad talos usque demissa, & genus quoddam indumenti Imperatorii, ejus pulchritudinem & splendorem PELAGIVS I. & GREGORIVS M. maximopere commendarunt. Ejus usus primum invaluit in oriente, Solis enim Patriarchis ab Imperatoribus Christianis ab initio solebat concedi. Nec nisi *quinto* seculo ea honoris insignia sibi arrogarunt occidentales, ita tamen, ut pallium ab Imperatoribus debuerit peti, quemadmodum ex VIGILII ad JUSTINIANUM, & GREGORII M. epistolis probatur. Sic ipse LUDOVICUS PIUS pallium EBBONI Rheimensi dono dedit. Nam, THEGANO teste, *purpura & pallio eum vestivit*, ab EBBONE vicissim *indutus cilicio*. Sed quemadmodum Constantinopolitani Patriarchæ, Principum jura sibi arrogantes, *Bulgaros*, ceterosque Metropolitans, pallio induerunt, sic & Pontifices Romani cum presentibus, tum etiam absentibus, qui illud scripto postulabant, exhibuerunt. Nunquam tamen, quod probe observandum, absque Imperatorum consensu. Res certa est, & a PETRO DE MARCA, Præsule eruditissimo, *Libro VI. Concordiæ Cap. VI. §. X. T. II. f. 82.* & JOANNE GARNERIO, ordinis Ignatiani sodale, in *Dissertatione III. ad Librum Romanorum Pontificum Diurnum §. XVII. p. 195.* solide adstructa. Sic AUXANIUS ad Arelatensem pontificatum anno DXLVIII evehctus, præter *Vicariatum* pallio etiam cupiit insigniri, quod Papa VIGILIUS distulit, donec ab Imperatore JUSTINIANO probatum foret. Hanc dilationis causam ipse reddit in epistola ad AUXANIUM exarata. Pallium enim indumentum erat Imperiale, & Romano Præsuli, ceterisque Patriarchis indulgentia Imperatorum concessum. Cumque leges læsæ majestatis reum agerent, si quis vestibus Imperialibus uteretur, par erat,

erat, ut ejusmodi honoris & ornamentis concessio absque Imperatorum, quorum beneficium erat, consensu, non fieret, præsertim Episcopis Gallicanis, qui, cum Regis Francorum imperio subiecti essent, auctoritatem Imperatoris non agnoscebant. In qua sententia fuit PETRUS DE MARCA l. c. fol. 83.

## §. XI.

Nunc videamus mysterium iniquitatis, quod sub fulgentis pallii communicatione latebat, & a Galliarum Metropolitanis ab initio non intelligebatur. Hi statim post consecrationem suam, quæ extra Italiam absque Romani antistitis consensu fiebat, sacri muneris functiones, antiquorum canonum auctoritate muniti, exercebant, cum ex adverso *ius novum eos prohibeat quidquam Pontificalis officii attingere, donec a sede Apostolica missum ad eos fuerit pallium, de corpore B. Petri sumtum*, docente MARCA l. c. f. 80, qui observat, olim S. Pontifices optasse, ut omnes Metropolitanis, qui ad eorum Patriarchatum pertinebant, aliquid confirmationis genus a sede Apostolica acciperent. Verum quia ubique receptum erat, consecrationes fieri posse extra Italiam, absque eorum consensu, vim ei legi palam adfere noluerunt; sed Metropolitanos rei cujusdam novæ miraculo velut obstupescerunt. Quæ in initio magnifica, paullatim tamen antiquam eorum libertatem per cuniculos infregit, & synodorum provincialium auctoritatem pessum dedit. De pallii usu loquor: *cujus origo cum sit satis vetusta, effectus tamen ejus, & cetera, quæ nunc usurpantur, antiquitati prorsus ignota fuere.* Hac arte Romani Præsules, orbis Christiani imperium affectantes, viam sibi muniverunt, ad remotiores antistites suæ potestati subjiendos. Nam qui tam splendidum ornatum & hono-

honorem gestandi pallii accipiebant, obligabant Pontifici vicifim p̄cūliarem fidem, fatente JO. GARNERIO, ordinis Ignatiani sodale, qui existimat, sacri pallii communicationem potestatis a Papa collata signum, & arctiorem quandam accipientis Episcopi cum dante S. Pontifice conjunctionem fuisse, ita ut per Episcopum Pontifex videretur potestatem suam exercere in provinciis longius remotis, & ubique Ecclesiæ adesse potestate, in *Appendice & Notis ad Librum Diurnum p. 125.* Hanc ob causam inferioribus etiam Episcopis mitti solebat, ut non solum aliquo honoris gradu a ceteris distinguerentur, sed & cum Pontifice Romano arctius unirentur. Legantur formulæ conferendi pallii, quæ existant in *Libro Diurno Cap. IV.* nec non *Observationes JACOBI BASNAGII*, quas *Thesaurus Monumentorum Ecclesiasticorum Canisiano* pramissit *Cap. IV. §. 9. f. 39.*

## §. XII.

Hunc pallii Romani usum, splendorem & necessitatem BONIFACIUS Moguntinus seculo a nata mundi salute octavo summis Galliarum Germaniarumque sacerdotibus tantopere commendavit, ut fallaci honoris specie decepti, illud libenter susceperent, demisseque, & magna obsequii pollicitatione, postularent. Quo unico actu prorsus infracta est auctoritas Metropolitanorum & Primatum, qui eo ipso haud obscure fatebantur, se dignitatem & omnia jura ex sedis Apostolicæ benevolentia tenere. Jacto hoc amplificandi dominatus fundamento, iidem Metropolitaniani novas conditiones, a summis Pontificibus sibi impositas, amplecti, & cum ceteris totius propemodum Europæ Episcopis Romanum jugum subire coacti sunt. Nam eodem BONIFACIO auctore, & strenuo potesta-

potestatis Pontificia assertore ac amplificatore rem urgente, scripto oportuit polliceri omnimodata subjectionem, & obedientiam sedi Apostolica; non aliter tamen, quam secundum canones, quæ istus ætatis modestia adhuc erat, præstandam.

## X.

Tandem Romani Præsules, primatu ordinis inter omnes antistites, obtento, non contenti, sed auctoritatem suam in utroque orbe stabilituri, post gravem & diuturnam cum Patriarchis Constantinopolitanis æmulationem ac litem Phocæ parricidæ beneficio, titulum equidem capitis Oecumenici obtinuerunt, & potestatem suam magis extulerunt, sed dominatum in Ecclesiam universam, obstante Imperatorum, ac Conciliorum auctoritate, sibi vindicare nondum potuerunt.

EXPO.

## EXPOSITIO.

## §. I.

**A**ntistes Romanus propter Urbis amplitudinem & dignitatem inter sacri ordinis viros in universo orbe, dum primum consecutus erat locum. Par igitur videbatur, ut Præful urbis Byzantiæ, in imperii sedem a Constantino delecta, & nova Romæ titulo pariter ac privilegiis ornata, cum Romano æquaretur, & proximum ab eo dignitatis locum obtineret. Nam vice plus simplici movimus, in ordine, & gradibus episcoporum constituendis, non fundationis Apostolicæ, sed magnitudinis, & dignitatis urbium habitam fuisse rationem. Huic certe fundamento jus illud superstruxerunt Patres Constantinopolitani, quando canone III. sanciverunt: *Constantinopolitana civitatis episcopus habeat privilegia honoris post Romanum episcopum, eo quod sit ipsa nova Roma.* Hæc *πρεεδεξια* & eminentia, per *πρεσβεια τῆς τῆς* indicata, Constantinopolitani patriarchatus prima jecit fundamenta, perinde ac *πρεσβεια* illa canone sexto Nicæno summis Romæ, Alexandria & Antiochiæ sacerdotibus tributa. Ab eo tempore Præsules Constantinopolitani, olim episcopo Heracleensi subditi, postea jus Metropolitanicum, & Exarchicum consecuti, pro ea, qua valebant auctoritate, & Imperatorum gratia, conciliis episcoporum in urbe regia congregatis, præfuerunt, Metropolitanarum ordinationibus sese immiscuerunt, quin & episcopis, qui munere sacro indigni videbantur, dejectis, alios substituerunt, jure suo in alias etiam dioceses protenso. Ab hac ambitione ipse JOANN. CHRYSOSTOMUS, antistes ceteroquin modestus, & pietate præstans, sibi non temperavit. Nam cum audivisset, Asia &

finitimarum provinciarum ecclesias, ab indignis sacerdotibus gubernari, & alios quidem donis, alios gratia corruptos, sacerdotia vendere, perrexit Ephesum, quæ suum habebat Exarchum *ἀρχιεπίσκοπον*, ac XIII episcopis depositis, partim in Lycia & Phrygia, partim in ipsa Asia Proconsulari, alios in eorum locum substituit. Ephesinæ autem Ecclesiæ, cujus antistes tum mortem obierat, HERACLIDEM præfecit. GERONTIUM Nicomediensi ecclesia expulit, ut est apud SOZOMENVM *Lib. VIII. H. E. Cap. 6. f. 765*. Hoc novum quid erat, & fiebat contra majorum instituta. Hinc multi graviter id ferebant, ac illi imprimis, qui exauctorati erant, eorumque necessarii, JOANNEM accusantes, quod rerum novarum in ecclesiis auctor esset, & contra antecessorum morem, τὰ δίκαια τῶν χειροτονιῶν, *ordinationum jura* arroganter immutasset, quod idem SOZOMENUS l. c. sub capitis *sexti* finem testatur. Nihilo tamen secius CHRYSOSTOMI in summo pontificatu successores, Imperatorum favore freti, hujusmodi exempla, ut fieri solet, verterunt in morem, & consuetudinem in jus, conciliorum & Imperatorum decretis postea confirmandum. Exemplum habemus in ATTICO, qui a THEODOSIO juniore rescriptum impetravit, quo Metropolitanus ab antistite Constantinopolitano consecrari, & Illyriciani de rebus dubiis ad eum referre jubentur. Legatur SOCRATES *H. E. L. VII. Cap. 28*, & Codex THEODOS. *L. XLV. Tit. XVI. de Episcopis*. Hac ratione Byzantinus Præsul, ad summæ dignitatis fastigium evehctus, & Patriarchis adnumeratus, potestate sua longe lateque extensa, tres amplissimas obtinuit diceceses, *Thracicam* videlicet, *Asianam* & *Ponticam*, quæ ipsi in concilio Chalcedonensi, A. CCCCLII coacto, vindicantur, Canone XXVIII. Quemadmodum enim anti-



antiquæ Romæ thronus insignia obtinuerat privilegia, quod *urbs illa imperaret*, eadem consideratione moti Patres Constantinopolitani, & Chalcedonenſes, *ſanctiſſimo novæ Romæ*, h. e. Constantinopolis, *throno* æqualia privilegia addixerunt, & confirmarunt, arbitrati, urbem, quæ & Imperio & Senatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiori regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus ac illam, extolli & magnifieri, ſecundam poſt illam exiſtenteſ, ita ut & *Ponticæ & Aſianæ & Thracicæ* diœceſis metropolitani, præterea & epiſcopi prædictarum diœceſium, & qui ſunt inter barbaros, a throno ſacro eccleſiæ Constantinopolitanæ ordinentur.

### §. II.

Hoc concilii Chalcedonenſis decretum ſub eius finem, abſentibus legatis Romanis, qui nulla ſe mandata ad id habere, cauſabantur, annitente potiffimum ANATOLIO, Præſule Constantinopolitano, ſancitum, non exiguis controverſiſ cum pontifice Romano occaſionem dedit, quas ex ipſis concilii Actis, & ex PETRO DE MARCA ac DUPINIO, qui eas ſuccincte expoſuerunt, cognoscere licet. Eſſi autem Eccleſia Romana illum canonem XXVIII Chalcedon. tanquam ſuppoſititium, & Concilio jam abſoluto per fraudem, ut ajunt, adjectum, nunquam recepit, unde nec in DIONYSII EXIGUI, nec in aliorum Latinorum collectionibus Canonum compareret, tamen Eccleſia Græca in decreto, ſolemniſter promulgato, perſiſtit. Et utriusque Romæ pontifices in tuenda, & amplificanda ſua poteſtate omnem operam ſtudiumque collocarunt, urbium prærogativis freti. Hucdum & honore & privilegiis erant æquales Hinc epiſtolæ, quas Patriarcha Conſtanti-

Constantinopolitanus ad antistitem Romanum exaravit, perpetuo  
 inscribuntur: SANCTISSIMO FRATRI & COMMINISTRO.  
 Utrique etiam seculo *sexto* PATRIARCHÆ OECUMENICI  
 titulus, tum a JUSTINO & JUSTINIANO in *Codice & Novellis*,  
 tum & a Conciliis, & ab universo clero, legitur datus. Ita JO-  
 HANNES II. Cappadox, tum EPIPHANIUS successor, postea  
 ANTHIMUS, ejusdem sedis usurpator. deinde MENNAS  
 in ANTHIMI locum suffectus, OECUMENICI titulo  
 sine Romana sedis offensione ornati fuerunt, sicut ex Actis  
 Concilii sub MENNA A. DXXXVI Constantinopoli habiti  
 intelligitur. Et Concilium ibidem contra ANTHIMUM  
 congregatum, & a Romana sede receptum probatumque,  
 Patriarcham Constantinopolitanum OECUMENICUM fre-  
 quenter appellat. Quo titulo nihil aliud eo tempore indi-  
 cabatur, quam totius dioeceseos caput, cui *ἡ καθόλη ἐπισκοπή*,  
*universalis cura* omnium ecclesiarum, non totius orbis, sed  
 sui Patriarchatus incumberet. Hoc sensu nomen omnibus  
 convenit Patriarchis, quia singuli permagnam orbis Romani,  
 sive τῆς ὁμομένης partem, sua sollicitudine gubernabant. Unde  
 natum postea CATHOLICORUM nomen, de Episcopis  
 universalibus, seu *ἀντοικεθάλαις*, usurpatum. Sic in Actis  
 Chalcedonenfibus Constantinopolitanus dicebatur ὁ Οικουμεν-  
 κὸς τῆς νέας Ῥώμης, & Romanus τῆς μεγάλης Ῥώμης. Mo-  
 nachi Constantinopolitani & Syriæ in libello contra ANTHI-  
 MUM oblato, A. DXXXVI apud HARDUINUM T. II. *Con-  
 cil. fol. 1203.* vocant *Archi-Episcopum antiquæ Romæ*, &  
*Oecumenicum Patriarcham Agapetum.* Oblatum esse LEO-  
 NI M. honorificum hunc titulum a Concilio Chalcedonenfi  
 monachi Benedictini, qui opera GREGORII M. ad antiquos  
 codices emendata, sub initium hujus seculi Parisiis ediderunt,  
 faten-

fatentur in *Vita Gregorii L. III. Cap. I. §. III. T. IV. Op. f. 248.* Sed male, GREGORIUM secuti, illum titulum repetunt ex *beati Petri, Apostolorum Principis, honore.* Nam ex illis, quæ hæctenus differuimus, satis intelligitur, perusitatum, & omnibus Patriarchis commune fuisse OECUMENICI nomen. Unde & in hunc diem Ecclesiæ orientis Patriarchales, Alexandria & Antiochena, *Oecumenicæ* dicuntur. Perabsurde igitur egit BARONIUS ad *A. Chr. DXIIX. Tom. VII. Annalium f. 5.* quando Acta illa Synodi Constantinopolitanæ sub Johanne congregata, nec non Synodi contra ANTHIMUM celebrata, sub MENNA Patriarcha, post obitum AGAPETI, in eo *falsata esse* putavit, dum quoties nominatus reperitur ipse *Johannes Constantinopolitane Ecclesiæ Episcopus, toties ferme additus est titulus Patriarchæ Oecumenici.* Alias enim, *haud recepisset Romana Ecclesia ejusmodi Acta, in quibus adeo frequens titulus hujusmodi legeretur.* Hæc annalium compilerator de suo confinxit absque teste, & contra veterum codicum, ac rei ipsius fidem, more suo. Nam quoties occurrit monumentum, suæ hypothesi & monarchiæ Pontificiæ adversum, toties proluxa declamatione, & quasitis ratiociniis primo dubium facit, tandem & per fraudem a Græcis, aliisque, suppositum esse vociferatur, uti recte notavit FR. SPANHEMIUS *H. E. T. I. Op. f. 1088.*

## §. III.

Facile tolerari potuisset titulus Romano Præsuli pridem datus, cui Constantinopolitanus per omnia æquatus erat. Sed ut hic non ferre potuit superiorem, ita nec ille præm. Hinc nomen illud in Constantinopolitanis Præsulibus vehementer improbarunt Pontifices Romani, quia metuebant, ne universaliter forsitan præfecturam in totum orbem Christianum,

○

num, & in ipsam Romanam Ecclesiam sibi ea nomenclatione vellent vindicare. Et PELAGIUS quidem II. *districtissima*, ut GREGORIUS M. ait *Epist. 68. libri IX. increpatione* JOHANNEM JEJUNATOREM admonuit, ut se a *novo & temerario superstitionis nomine* cohiberet. Existimabat, JOHANNEM, mandata Dominica, & Apostolica præcepta, regulasque Patrum despicientem, per elationem præcurrere Anti-Christo, facta ad 2 Theff. II, 4. allusione. Præsulem Constantinopolitanum *universa sibi adscribere, quæ soli uni capiti coherent, nempe Christo.* Nec minori ardore illum titulum impugnavit PELAGII successor GREGORIUS, ob res fortiter & præclare in Ecclesia gestas MAGNI cognomen consecutus. Hic perinde esse censebat, UNIVERSALEM episcopum dici, & SOLUM episcopum dici. Et si unus sit universalis episcopus, reliquis non dari esse episcopis, sed universalis illius episcopi vicariis dumtaxat & subdelegatis. Molestum foret, omnia rationum momenta, quibus hunc titulum ardetat, enarrare. Novum OECUMENICI nomen repugnare ait humilitati Christianæ, quæ in episcopis magis fulgere debeat, quam in plebejis. Charitatem turbari, unitatem scindi. Titulum esse *scelestum, stultum, blasphemum, inanis gloriæ tumorem, superbiæ & confusionis malum, superstitiosum, temerarium, & nefandum elationis vocabulum, primi Apostatæ inventionem, diabolice usurpationis tentationem, & Anti-Christi præcursorem.* Videatur Registrum epistolarum S. GREGORII Libro V. *Epist. XXVIII. f. 741. XX. f. 747. XXI. f. 751. XLIII. f. 773,* editionis novæ, a monachis Benedictinis curatæ.

## §. IV.

Notatu dignum est, quod hic GREGORIUS vatem egit,  
&

& venturam tempestatem, tanquam ex specula quadam prospexit, atque prædixit: *Qui post nos vixerint, deteriora tempora videbunt, ita ut in comparatione sui temporis felices nos æstimet dies habuisse*, in epistola ad MAXIMUM, Salonitanum episcopum, quæ exstat *Lib. X. Num. XXXVI. fol. 1066*. Et alibi *Lib. V. Epistola XVIII. f. 744*. multo expressius vaticinatur: *Omnia, quæ prædicta sunt, fient. REX SUPERBIZÆ*, hoc est Anti Christus Magnus, purioris doctrinæ corruptor, & Ecclesiæ oppressor, *prope est, & quod dici nefas est, sacerdotum ei PRÆPARATUR EXERCITUS: quia cervici militant elationis, qui ad hoc positi fuerant, ut ducatum præberent humilitatis*. Vaticinium paullo post eventum ipso ratum atque impletum fuit. Quod nomen GREGORIUS M. in Præsule Byzantino, tanquam summi fastus, & animi AntiChristiani indicium, detestatus erat, id ejus successores ipsimet avidissime rapuerunt, raptumque præfracte defenstarunt. Manus obstetrices præbuit PHOCAS, bipedum nequissimus, *μὴ ζῶντος ἄνθρωπος. homo semibarbarus, de Cycloпом genere, in purpura modesta centaurus petulantissimus*, quibus notis parricidam & alterum Zimri, qui Dominum suum MAURICIUM Imp. crudeliter occidit, THEOPHYLACTUS SIMOCATTA insignivit. Ille enim tyrannus CYRIACO Patriarchæ, horrible parricidium improbantem, infensor, ipsomet BARONIO id fatente, & Romanos pontifices, auctoritate pollentes in Italia, de cujus conservatione valde sollicitus erat, sibi demeriturus, *ROGANTE PAPA BONIFACIO III*, precibus, blanditiisque, ac propria utilitatis argumento, eo adductus est, ut A. DCVI. statueret non Constantinopolitanum amplius, sed solum Romanum Pontificem dicendum Oecumenicum, & solam sedem Roma-

*nae Ecclesiae caput esse omnium Ecclesiarum.* Hæc BEDA de *sex etatibus Mundi*, PAULLUS Diaconus, scriptor coævus *Libr. IV. Cap. 37. de Gestis Longobardorum*, ANASTASIUS Bibliothecarius in vita BONIFACII III, aliique memoria prodiderunt. Ad BARONII, BINII aliorumque gnathonum argumenta, quando Phocam, ajunt, juris divini tantum interpretem fuisse, nec dedisse primatum Ecclesiae Romanae, sed tantum vindicasse, solide responderunt MORNÆUS in *Historia Papatus* ad tempora PELAGII & GREGORII, DAVID BLONDELLUS de *Primatu in Ecclesia* f. 1073. & FR. SPANHEMIUS in *H. E. T. I. Operum* f. 1193.

## S. V.

Ex eo tempore fœdus dominatus cum omnis generis corruptelis ac sordibus invehi in Ecclesiam cœpit, ut tandem verus pãpatus emergeret. Sic e. g. gentium idolis substituebantur Christianorum Divi, eorumque imagines ac reliquiae. Ita BARONIUS Phocam tyrannum dilaudat *ad annum Christi DCVII. num. 1. f. 201*, quod PANTHEON, vetus & nobile Romæ delubrum, Pãpæ BONIFACIO IV. dederit, quod ab antiqua idololatriæ sordibus expurgatum in honorem Mariæ DEI genetricis, & sanctorum martyrum consecratum fuit. Ab eo tempore in externis & superstitionis ritibus, ex impuris fœtidisque paganorum & Judæorum lacunis haustris, maxima religionis Christianæ pars ponebatur.

## S. VI.

Ut cleri universi ambitio, & luxus crevit, ita fastus inprimis Pontificum quotidiana cepit incrementa. Sequente seculo octavo eo tandem audacia devenerunt, ut in universam

versam non tantum ecclesiam, sed & in ipsa regna atque imperia exercere vellent dominarum. Hujus arrogantia insignis dedit exemplum Papa CONSTANTINUS, qui PHILIPPICUM Imperat. multis contumeliis affectum, quantum in se erat, imperio exuit. Id quod ante eum sustinuerat nemo, fatente ONUPHRIO in Notis ad PLATINAM p. m. 100. Adeundi sunt ANASTASIUS in illius Pontificis vita, nec non PAULLIJS Diaconus & SIGONIUS de Regno Italiae. Rem laudat BARONIUS ad annum DCCXII. Num. VII. f. 669. & ad gloriam Romanorum refert, quod adeo, sint execrati haereticum Imperatorem, ut nec illius imaginem vel pictam, vel in numis. cusam, voluerint intueri.

## §. VII.

Majorem ferociam contra LEONEM ISAURICUM, imaginum osorem prodidit Gregorius II. in literis ad illum Imperatorem contumeliosissime scriptis, quae exstant sub initium Tomi IV. Conciliorum HARDUINI, ubi f. 10. 11. 15. 16. satis fastuose scribit, se a DEO potestatem & terrena & caelestia solvendi accepisse. Romanos Pontifices septem, medianum esse orientis & occidentis, quin & pacis arbitros ac moderatores. Omnia regna occidentis Petrum cum successoribus tanquam DEum habere. Imperatores, qui pie & in Christo vixerint, ecclesiarum pontificibus obedire minime recusasse. Hoc factum rursus laudat & commendat BARONIUS ad annum DCCXXX. Num. IV. & V. T. IX. Annalium f. 99. candide fassus, GREGORIUM non tantum anathemate execratum fuisse LEONEM Imp. sed & tum Romanos, tum Italos ab ejus obedientia recedere fecisse, Caesaremque privasse tributorum Italiae exactione. Et Pontificis sulinae

Et tonitru excitati fideles Occidentales, mox desciscunt pe-  
 nitus a Leonis Imperio, Apolico Pontifici inhaerentes. Sic  
 dignum posteris idem GREGORIUS reliquit exemplum, ne in  
 Ecclesia Christi regnare sinerentur haeretici Principes, si saepe  
 moviti in errore persistere obstinato animo invenirentur, quae  
 Anulium conditoris verba sunt l. c. Idem pontifex paulo post  
 totam Italiam cum Exarchatu Ravennatensi, pacto cum Francis  
 inito, Imperatoribus Graecis subtraxit, magnam ejus partem fe-  
 di Romanæ deinceps asserturus. Testes damus THEOPHA-  
 NEM, ZONARAM & CEDRENUM. Ex Latinis fastus est  
 ONUPHRIUS in Notis ad PLATINAM p. 100. GREGORIUM  
 II. imperium Italiae Graecis eripuisse. Consentunt BELLAR-  
 MINUS Libro V. de Romano Pontifice Cap. VIII, & Cardina-  
 lis PERRONIUS in Oratione ad Tertium Regni Francici  
 Ordinem, aliique plures. Oleum igitur operamque perdide-  
 runt CAROLUS LE COINTE in Annalibus Francicis, PE-  
 TRUS DE MARCA Libr. III. de Concordia S. & I. Cap. XI.  
 §. III. fol. 181, & NATALIS ALEXANDER in H. E. ad  
 Seculum VIII. Diss. I. fol. 733, qui facti atrocitatem, Ecclesiae  
 Romanae valde ignominiosam, detestati, contenderunt, ea  
 omnia fabulosa esse, quae de his GREGORII II injuriis ad-  
 versus LEONEM Imp. narravimus. Eas autem Imperatori  
 vere illatas esse, Curia Romana hodie dum fatetur, ut appa-  
 ret ex censura, qua NATALIS ALEXANDRI proposi-  
 tiones Romae notatae sunt l. c. fol. 736.

§. VIII.

Neque equius fese erga eundem Imperatorem LEONEM  
 exhibuit GREGORIUS III, quippe quem continuo, ubi pon-  
 tificatum inivit, imperio simul & communionem fidelium pri-  
 vavit,



vavit, PLATINA teste: Eiusdem Pontificis, svasa omnis Italia ab Imperatore Constantinopolitano, defecit, teste ONUPHRIO in notis ad illius pontificis vitam Num. *XCVI*. Eius in pontificatu Rom. successor ZACHARIAS ad cœlum usque excolit monachismum, & artibus suis effecit, ut purpuram cum cucullo permutarent CAROLOMANNUS, Austrasæ princeps, PIPPINI frater natus maximus, & RACHIS Langobardorum Rex. Eiusdem Pontificis sententia, auctoritate & iussu A. *DCCLII*. CHILDERICUS III. ultimus Francorum Rex ex Merovingiana familia, exauctoratus, & cum filio THEODORICO in monasterium detrusus est, regno ad PIPPINUM, Palatii præfectum, CAROLI MARTELLI filium, & CAROLI M. patrem, perastute translato. Hoc Annales LOISELLIANI, FULDENSES, BERTINIANI & METENSES, nec non ADD, REGINO, MARIANVS SCOTUS, LAMBERTUS SCHAFFNABURGENSIS, SIGEBERTUS, & alii auctores fide digni tradunt, quidquid demum in contrarium afferant NATALIS ALEXANDER in *H. E. Sec. VIII. Diff. II. f. 737*, & CAROLUS LE COINTE in *V. Annalium Francicorum ad eundem annum, f. 320*. volebat enim pontifex sibi conciliare, & demereri PIPPINUM, cuius auxilium adversus Langobardos, & Græcos, Romanæ sedi molestos, sibi exercebat. Legatur BARONIUS ad A. *DCCLI. Num. III. f. 199*. nec non BELLARMINUS *L. II. de Romano Pontifice Cap. XVII. & V. Cap. VIII.* & NICOLAUS SERARIUS *Libro III. Rerum Moguntiacarum*, qui facinus fatentur, & ut confirmet, magnam auctorum turbam producunt, Romano Pontifici jus asserturi, transferendi regna, PIPPINUS igitur, secundum Romani pontificis sanctionem, Rex Francorum renunciatus, paulo post a STEPHANO Pon-

Pontifice, prava absolute a perjurio, in **CHILDERICUM** Regem commissio, primus omnium Francorum Regum in Basilica Monasterii San-Dionysiani prope Parisios solemniter & sacra unctione inauguratus est, ad imitationem Gothicorum Hispania Regum. Hos enim ungi consuevisse, dilucide apparet ex *adhortatione ad Principem* in concilio Hispania facta *T. I. Concil. f. 13.* editionis novae, quae nunc Venetiis excuditur. Fatetur **CAROLUS LE COINTE**, *utrumque, & Papam & Pippinum, rebus suis hac ratione optime providisse, in Annalium Francicorum T. V. ad eundem annum DCCLII. Num. LV. f. 442.* Nam Christianus orbis in eo statu versabatur, ut opem pene omnem Romanus Pontifex ex sola Francia speraret. **PIPPINUS** ejusque in regno Galliarum successores, animum gratum, tantique memoriam beneficii, declaraturi, vicissim multa & praecleara Romanis Pontificibus contulerunt beneficia, singularem Exarchatum Ravennatensem. Et ut manus manum lavat, ac unum beneficium plura provocat, sic vicissim **STEPHANUS** pontifex pro tanto dono Regem Francorum, ejusque filios, auxit titulo **PATRICII ROMANI**. Quae dignitas secundum Imperatoriam summa olim erat, & praeter jus protectionis consortium imperii, praefecturam Romanae urbis, ac circumjacentium regionum, importabat, secundum **JO. MABILLONIUM** in *Supplemento ad Rem Diplomaticam Cap. IX. f. 39.* Haec Patriciatus Romani dignitas penes Francorum Reges fuit, usquedum **CAROLUS M.** omisso Patricii nomine Imperator Augustus adpellatus est. Legatur **CAROLUS LE COINTE** ad Annum **DCCCXVI** *Annalium Francicorum, & PETRUS DE MARCA Libro III. Concordiae S. & I. Cap. XI. §. 6. f. 183,* ubi observat, post illa demum tempora Pontifices plenam in rebus

rebus civilibus administrationem exercuisse, & quidquid juris, dignitatis & auctoritatis civilis ac publicæ in Italia possideant Papæ, a Regum Galliaë munificentia profectum esse. Habemus denuo consentientem CAROLUM LE COINTE, qui in fine *Tomi V. f. 768.* notavit, PIPPINUM *primum amplificandæ ecclesiæ Romanæ viam aperuisse, Exarchatum Ravennæ cum aliis territoriis Apostolicæ Sedi concedendo.* Nam tabulæ donationis, papæ SILVESTRO A CONSTANTINO M. factæ, quæ passim circumferuntur, citra controversiam commentitiæ sunt. Qua in re ex ipsis adversariis nobis adfertiuntur LAURENT. VALLA, BARONIUS, IS. HABERTUS, J. MORINUS, PETRUS DE MARCA, ANTON. PAGIUS, TILLEMONTIUS, & præcipue NATALIS ALEXANDER *in H. E. Seculi IV. Diss. XXV,* atque PABEBROCHIUS *Propylæo ad Acta Sanctorum Aprilis T. II. f. I. ubi hoc edictum seu fictum, seu depravatam, indignum judicat, quo Silvestri Pontificis historia augetur.*

### §. IX.

Etsi autem inde a septimo seculo cum titulo *capitis Oecumenici* fastus & dominatus papalis magis magisque invehit in Ecclesiam, & tyrannidi firmandæ ac amplificandæ, valde inservierunt illorum temporum superstitio, & barbaries, universo orbi incubitura, stupendæque Saracenorum progressiones, & aliæ Reipublicæ calamitates, in occidente perinde ac oriente, accedentibus crebris antistitis dissidiis, quorum permulti injuriis affecti, ac ope destituti, Romam confugiebant ad pontificem: nondum tamen ad illud fastigium Romani antistitis auctoritas eversa est, quo seculo Hildebrandino demum pervenit. Sic anno DCLXXX Syn-

dum sextam, ad compefcendos Monotheletas in Trullo Constantinopoli habitam, non AGATHO indixit, sed CONSTANTINUS Pogonatus solus, uti ZONARAS, GRATIANUS, ANASTASIUS, aliique testantur. AGATHO ipse declaravit, *se Cesari vocanti promptam obsequentiam exhibere.* Quin & Synodi patres, antistitem Romanum in ordinem reducturi, antiquum Concilii Constantinopolitani decretum confirmant, & sciscunt, utrumque Patriarcham Romæ veteris & novæ *ἰσων ἀπαρχαῖς ἐν πρεσβείῳν, pari dignitate frui.* Utrosque etiam appellant *Patriarchas Universales.* Pontifices mandatis Imperatorum eo tempore adhuc obtemperabant. Ita CONSTANTINUS Papa An. DCC IX a JUSTINIANO II. Constantinopoli evocatus, accepta sacra, jussis Imperialibus obtemperaturus, illico navigia fecit parari, teste PAULO Diacono & ANASTASIO. GREGORIUS II. candidè fassus est in epistola ad LEONEM Imp. pontificem non habere potestatem *in palatium introspectendi, aut dignitates regias deferendi,* apud HARDUINUM T. IV. *Concil. f. 10. & 15.* ADRIANUS I. papa in epistolis suis deprecatur Imperialem Majestatem, & Imperatores Orientis vocat *despotas* sive Dominos suos. In literis ad CONSTANTINUM & IRENEÑ flexis genibus, & humi prostratus orat, T. IV. *Concil. f. 91.*

§. III. X. PIPPINUS equidem & CAROLUS M. Francorum Reges donarunt sedi Romanæ per amplas provincias, sed non aliter concesserunt, nisi in feudum, & dominium utile, regia & suprema potestate sibi servata. Unde, sacramentum a Pontifice erat præstandum, dicendumque: *Promitto, me Domino meo Carolo fidelem futurum.* Tandem Romanus ducatus

catus cum Urbis ipsius suprematu An. DCCXCVI ad CAROLUM Regem a Græcis Imperatoribus transit, cui ut Domino suo Papa LEO III. populusque Romanus, vexillum Urbis Romæ, supremi domini in signe, cum clavibus confessionis Petri per legatos misere, rogante LEONE, ut CAROLUS aliquem e suis optimatibus mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem & subjectionem per sacramenta firmaret. Negat BARONIUS ad illum annum 796. Num. XXI. f. 485, vexillum Urbis Romæ, CAROLO missum, suprematus in signe fuisse. Sed asserunt illud nobiscum MARIANA de Rebus Hispan. L. VII. Cap. XI, MEZERÆUS, MAIMBURGIUS, LE BLANC, & NATALIS ALEXANDER in H. E. Sec. VIII. Cap. I. f. 661. Diu etiam penes Francorum Reges ac Imperatores Rom. supremum urbis Romæ dominium mansit. Rem confirmant nummi CAROLI M. LUDOVICI PII & LOTHARII, Romæ eo tempore cusi, quos pererudita differtatione, Parisiis An. 1689. Gallice edita, LE BLANC illustravit.

§. XI.

Diu etiam jura circa sacra, ac legislativam in primis potestatem in causis Ecclesiasticis exercuerunt Principes atque Reges tam in oriente, quam in occidente, & post PIPPINUM quidem CAROLVS M. qui Concilia convocavit, & Francosurto supersticiosum imaginum cultum, in Synodo Nicæna nuper sancitum, promulgavit contra tantum ab usum decretis, ex Ecclesia proscripsit, & Constitutiones de rebus sacris atque Capitularia, clericorum moribus emendandis inseruitura, promulgavit. Accepit etiam, exercuitque aliorum Imperatorum exemplo, HADRIANO papa consentiente, jus eligendi summum Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, insuper Archi-Episcopos & Episcopos per singulas

las provincias, in Gallia non tantum, sed & in univ[er]sa Italia investendi. Auctores hujus rei prostant PLATINA in *vita Paschalis*, ANASTASIUS item & GRATIANUS, nec non SIGEBERTUS, STEPHANUS BALUZIUS, LE BLANC l. c. p. 46. & JO. MABILLONIUS T. II. *Itinerarii Italici* p. 113. § 114. Baroniana nugamenta, quæ ad annum DCCLXXIV. a Num. XIV. usque ad XXIII. f. 332. legi possunt, protrivit FR. SPANHEMIUS H. E. *Seculi VIII. T. I. Op. f. 1292*, ubi contra annalium conditorem perinde ac PETRUM DE MARCA & NATALEM ALEXANDRUM probavit, istam concessionem nequaquam fictitiam esse.

## §. XII.

Diu etiam non fuit agnitum in Ecclesia Romani Præstis judicium, tanquam dictatorium, indeficiens, & ab omni erandi periculo immune. Ex Papis equidem unus & alter, tanquam novus Apollo, ejusmodi auctoritatem sibi vindicare voluit. Sic AGATHO Siculus A. DCLXXVIII papale solum adeptus, D. 19. C. Sic omnes 2 pronuntiavit: *Sic omnes sanctiones Apostolicæ sedis accipiendæ sunt, tanquam ipsius divina voce Petri firmatæ.* Ad CONSTANTINUM Pogonatum idem scripsit: *Ecclesiam Apostolicam h. e. Romanam, nunquam a via veritatis deflexisse, sed illibatam permanuisse, nec errare potuisse, secundum ipsius Salvatoris divinam sollicitationem, quam suorum discipulorum principi in sacris Evangeliiis fatus est.* Vix facis mirari possumus hominis impudentiam, cum recentissimum Papæ HONORII exemplum proflaret, qui ad Monothelitas palam defecerat. Detestabilis illius Papæ lapsus manifestus est ex utraque HONORII epistola ad SERGIUM, quæ exstant in *Actis Concilii sexti Aët. XII. § XIII, T. III. Concil. Hard. f. 1319 § 1351*, ubi unam

unam dumtaxat voluntatem in Christo asserit, & duas operationes sive voluntates dici vetat, damnatque SOPHRONIUM Hierosolymitanum, errori Monothelitico, universam Ecclesiam inundaturo, se opponentem. In publicis etiam hujus ævi monumentis HONORIUS, tanquam erroris socius, jungitur SERGIO, PYRRHO & PAULO, Monothelitico errore imbutis, atque cum iis damnatur in Actis Synodi sextæ, cui Romanæ sedis legati præfuerunt, & subscriperunt, f. 1398. 1414. 1422. 1438. 1447. apud HARD. l. c. Idem confirmat Leo II. Papa Rom. in literis ad CONSTANTINUM Imp. scriptis l. c. f. 1475. ubi damnat HONORIUM, suum antecessorem, qui hanc ecclesiam non Apostolica traditionis doctrina lustravit; sed profana traditione immaculatam fidem subvertere conatus sit. Quis amplius de HONORII lapsu dubitabit, quem non tantum LEO, sed & omnes in pontificatu Romano successores, damnarunt, quotquot synodum sextam approbarunt. Et hoc ipsam fecerunt haud pauci. Constat enim ex *Libro Diurno*, quem JO. GARNERIUS, Ignatiani ordinis socius, Parisiis A. 1680 notis illustratum edidit, pontifices inaugurandos publicam fidei professionem edere, & non tantum sex Concilia Oecumenica approbare, sed & Monothelitici erroris auctores SERGIUM, PYRRHUM una cum HONORIO, qui pravis eorum assertionibus fomentum impenderit, damnare debuisse. Legatur *Cap. II. Libri Diurni p. 41.* & apparebit, vanum esse effugium BARONII, quando cum BELLARMINO, aliisque Pontificiis, HONORII nomen Actis sexti Concilii a græculo quodam intrusum, multaque alia hujus ævi monumenta, quæ de HONORII Monothelismo agunt, vel prorsus adukerina, vel corrupta esse, absque levissima verisimilitudinis umbra, commentus est, ad *A. Chr. DCLXXX Num. 35.* & ad *An. DCLXXXI Num. 12* & ad *A. DCLXXXIII. Num. 13.*

Ad HONORII perinde ac Sergii consensum polemam provocavit PAULLUS, Constantinopolitanus Patriarcha, Monothelita, in literis ad THEODORUM Papam *T. III. Concil. HARDUINI f. 819.* Tandem Synodus *Quini-Sexta*, in supplementum quintæ & sextæ Synodi A. DCXCI sub JUSTINIANO Rhinotimeto collecta, & Nicæna II. *T. IV. Concil. f. 370 & 454.* confirmarunt ut universa Concilii sexti Acta, sic etiam anathemata in HONORIUM dicta, tanquam Monothelitam. Offucias Baronianas ex ipsismet Pontificiis Oratorii in Gallia presbyter, in *Historia Synodi VI Oecumenicæ f. IX. f. 269,* EDM. RICHERIUS in *Historia Concil. Gener. Cap. X. f. 25.* NATALIS ALEXANDER in *H. E. Seculi VII. Diff. II. f. 606,* ubi totus in eo est, ut probet, HONORIUM in Synodo VI. iuste damnatum esse. Ex Reformatæ Ecclesiæ Doctoribus idem præstiterunt JO. FORBESIVS *Libro V. Instructionum Theologico-Histor. Cap. XI. seq. & FR. SPANHEMIUS H. E. T. I. Op. f. 1220.* Præ ceteris autem ex nostratibus, qui in eodem argumento pertractando magna cum laude versati sunt, evolvi meretur B. D. CHLADENII pererudita Disputatio de *Monothelismo HONORII Vitembergæ 1710 excusa.* Vnde haud difficulter dilui possunt, quæ ad defendendum purgandumque HONORIVM præter BARONIVM PETAVIVS in *Dogmat. Theol. T. IV. L. I. Cap. XXI. f. XI. f. 104.* FRANCISCVS MARCHESIVS in *Vindictis Honorii Papæ An. 1680. Romæ editis,* BERNARDVS DESIRANT, qui scripsit *Honorium Papam Vindicatum salva integritate Concilii VI & Aquisgrani An. 1711.* edidit, nec non Præsul Cameracensis FENELONIUS peculiari instructione Pastoralis contra Jansenistas An. 1704. Gallice emissa, alique infallibilitatis Pontificiæ assertores in medium attulerunt.

XI. Tan-



## XI.

Tandem seculo post Christum natum undecimo Pontificum Romanorum potestas Gregorii VII. ferocia ad summum fastigium evecta, & Ecclesia Christiana, depressa ac conculcata Imperatorum Regumque Majestate, terribili jugo collum submittere coacta fuit.

## EXPOSITIO.

## §. I.

**R**omani antistites jam inde a longo tempore sacrum & nullis limitibus circumscriptum imperium in ecclesia stabilire moliti sunt, sed efficere non potuerunt, subinde contradicentibus viris cordatis, ac testibus veritatis, & obstante Imperatorum Romanorum Regumque auctoritate, qui sua jura circa sacra vindicarunt, & Romanos praesules in ordinem redegerunt. Memorabile hujus rei exemplum supeditat historia OTTONUM, qui seculo decimo rerum summae praesuerunt. OTTO hujus nominis primus, & a rebus fortiter atque praecclare gestis MAGNI nomen consecutus, de coercenda Paparum libidine serio cogitavit, & exemplum CAROLI M. ac LUDOVICI PII imitaturus sibi, & successoribus postliminio vindicavit jus eligendi pontifices summos, & episcopos investendi. Propterea Romam delatus Anno DCCCC LXIII fidelitatis pollicitationem exegit a Romanis  
civi-

civibus, ac universo clero, qui omnes interposito jurejurando promittebant, nunquam se Papam electuros, aut consecratos sine Imperatoris consensu, teste LUITPRANDO *Libro VI. Histor. Cap. VI.* & facente BARONIO ad eundem annum *Num. XI. f. 758.* sed perinepte monente, non omnibus OTTONIS Imp. successoribus Augustis id a populo Cleroque juratum esse, sed ipsi duntaxat OTTONI unigue ejus filio, Ottoni juniori. Addit annalium conditor, eam promissionem de electione Pontificis OTTONI & filio ejus factam, nullius fuisse firmitatis. Neque enim aliquid decerni potuisse sive a Romanis laicis, sive a Cardinalibus, in re præsertim tanti momenti, pontifice JOANNE tum existente, inconsulto, & non consentiente. Sed sedes papalis eo tempore erat vacua, JOANNE ejecto & exauctorato. Anno sequente DCCCCLXIV. LEO VIII. Pontifex Romanus non ignorans, quæ ab antiquo fuerint Rom. Imperatorum circa Pontificum electionem jura, & quanta mala in Ecclesiam manaverint, post jura illa a clero Romano violata, aut ab Imperatoribus, negotiorum mole, ac barbarorum irruptione distractis, neglecta, in Synodo Romana, Senatus, populique ac universi consensu cleri, qui jam antea juraverant Imperatori, se præter ejus consensum nunquam creaturos Papam, restituit Principibus Augustis, singulatim OTTONI primo & ejus successoribus, in perpetuum jus investituræ, sive facultatem eligendi, confirmandique summos Pontifices. HARDUINUS istam Synodum Romæ An. 964. celebratam vocat *conciliabulum*. BARONIUS constitutionem in eo concilio factam exagitat ut suppositiciam, & manifestæ falsitatis redarguendam, sed sine ullo suppositionis & fraudis argumento, ad eundem annum *Num. XXII. & XXIII. T. X. Annal. f. 771.* Inseruit eam GRATIANUS *Decreto suo Distinct.*

*Distinct.* LXIII. Canone XXIII, postquam Canone XXII præmississet legem ADRIANI Papæ, totiusque sub eo Synodi, qua traditum fuit CAROLO M. jus & potestas eligendi Pontificem, ordinandique Apostolicam sedem. Istius constitutionis veritatem multis rationibus adstruxere CAROLUS MOLINÆUS, PAPIRIUS MASSONUS, JO. LAUNOJUS, & PETRVS DE MARCA *Libro VIII. Concordiæ S. & I. Cap. XII.* Consentientes habemus LUITPRANDUM scriptorem coævum, *L. VI. Hist. Cap. ult.* SIGEBERTUM, PLATINAM, TRITHEMIUM, & ex recentioribus CAROLUM SIGONIUM, ONUPHRIUM PANVINIUM, Monachum Augustinianum, in notis ad LEONEM VIII, & ipsum GENEBRARDUM, scriptorem adversus Protestantem maledicentissimum, in *Chronologia, ad annum 964.*

§. II.  
Nec defuerunt eo tempore cordati & candidi veritatis testes ac confessores, quibus adnumerari meretur GERBERTUS, OTTONIS III. præceptor, a quo Ravennatensis Præsul, & sub seculi decimi finem Romanus Pontifex renunciatus est, assumpto nomine SILVESTRI II. Humili loco natus, sed pro seculi conditione optimis literis imbutus, varia scripsit opuscula, e quibus eminent epistolæ numero *centum & sexaginta*, pleræque ante initum pontificatum Romanum scriptæ, quas diu reconditas & desideratas, antistitem & cleri Galliarum auspiciis e Bibliotheca PAPIRII MASSONI, in Senatu Parisiensi advocati, ejus frater JO. MASSONUS, Bajocensis ecclesiæ Archi-Diaconus, Parisiis 1611 evulgavit. Ex qua editione deinceps in Bibliothecas Patrum translata fuerunt. Quæ sicut bonæ frugis plenæ sunt, & varia argumenti amenitate lectores suos oblectant, ita statum inprimis eccle-

Q

fix

fiæ illius temporis, fædosque ac detestabiles Rom. pontificum mores describunt. Papani vocat *Anti-Christum in templo DEI sedentem*. *Eum errare posse, ait, & si peccaverit, ecclesiæ iudicio subesse.* Decretales Rom. Pontificum epistolas, adulterinas, vel dubiæ fidei esse. Legatur huius GERBERTI sermo de Episcoporum & Sacerdotum Officiis, quem ex codice manu exarato JO. MABILLONIUS edidit *T. II. Analectorum*, ubi p. 217. memorat, in Petro Apostolo cunctos sacerdotes accepisse claves regni cælorum, & Petrum solum non suscepisse oves pascendas, sed eas aliis quoque episcopis & sacerdotibus commendatas esse. Quibus verbis declarat, Petro nihil eximii a Christo datum, aut dictum fuisse, quod non omnibus pastoribus æquo jure competat. Quis igitur miretur, ob tantas adversus sedem Romanam invectivas GERBERTUM nostrum multorum odium atque invidiam & criminationes provocasse? Inter atrocissimas injurias eminet magiæ crimen. A quo BARONIUS equidem eum purgat, sed aliis in eum saviit maledictis, GERBERTUM appellans *mendacem, blasphemum & schismaticum, atque hereticum* ad annum Christi DCCCCXCII. Num. L. & seq. *T. X. Amalium f. 863.* Sed Patres Synodi Remensis anno DCCCCXCI. celebratæ apud HARDUINUM *T. VI. Concil. P. I. f. 725.* laudant GERBERTUM, loco exactorati atque perduellis ARNULPHI in sedem Remensem eventam, *ut ætate maturum, natura prudentem, de cuius studio in divinis ac humanis rebus certi essent.* Multæ etiam huius GERBERTI laudes extant in *Abbatie Auriliacensis*, cujus alumnus in juventute fuit, *Chronico*, quod JO. MABILLONIUS *T. II. Analectorum* evulgavit. Eiusdem SILVESTRI patrocinium suscepit ABRAHAM BZOVIVS, ordinis Prædicatorum monachus non incelebris, qui genti Cæsariæ tantum Pon-

Pontificem vindicaturus, *Vitam Silvestri II. a nebulis calumniarum enubilati*, a se panegyrico magis, quam historico stilo conscriptam, Romæ typis Vaticanis 1629. in 4to. excudi curavit. Legi etiam meretur pererudita Dn JO. DAVID KOELERI, Historiarum Prof. Altorffini celeb. Disseratio An. 1720. emissâ, qua eundem GERBERTUM ab injuriis tam veterum, quam recentiorum scriptorum, purgavit.

### §. III.

Papali tyrannidi, seculo undecimo ad summum fastigium evehendâ, mascule sese opposuerunt Imperatores Romani, singulatim HENRICUS II. ob liberalitatem erga clericos sanctis adscribendus, nec non HENRICUS III. cognomento NIGER, quorum uterque episcoporum investituræ sibi vindicavit. Sub HENRICO III. denuo jurarunt Romani, se absque consensu Imperatoris, & successorum, nunquam Papam electuros, vehementer indignante, & more suo ferociente BARONIO, qui Schismaticis decretum illud adscribit, ab iisque labefactatum, atque additione corruptum esse ait, *ad annum MLIX. Num. XXXI. f. 253.* Quin & ipse HENRICUS IV Papis, ecclesiam penitus conculcaturis, & in summa Regum ac Imperatorum jura involaturis, diu vehementerque restitit. Postea etiam HENRICUS V cum PASCHALI II. diu est colluctatus, quin & Pontificem adegit, ut sibi suisque in Imperio successoribus jus investiturarum per annulum & baculum redderet, fatente ipsomet BARONIO *ad annum MCXI. Num. XXI & XXII f. 76.* Restiterunt etiam Gallia & Anglia Reges, nec non integra ecclesia per Occidentem, perinde ac tota ecclesia orientalis, magna & diuturna tum de primatu, tum de aliis doctrinae ac rituum

capitibus disceptatione a Romanæ sedis communione distra-  
cta, ut LEO ALLATIUS perpetuam utriusque commentus  
consensionem, & concordiam, dudum debuerit ludibrium  
viris cordatis & eruditis. Legatur Leodiensis ecclesiæ a  
Papa, quod HENRICO V. adhareret, execrationis fulmine  
percutta, epistola, acerrime scripta ad PASCHALEM II, quam  
recitarunt FLACIUS in *Catalogo Testium*, & JO. HARDUI-  
NUS *Tom. VI. Concil. Parte II. fol. 1769.*

#### §. IV.

Hæc omnia tamen impedire non potuerunt, quo mi-  
nus Pontifices monarchicum in universum orbem Christia-  
num regimen tot artibus per aliquot secula quasitum, tan-  
dem per vim & tyrannidem arriperent, suamque potestatem  
ad summum fastigium everherent, ut, quo progredereur am-  
plius, non haberet. Quod multi antea minus feliciter mo-  
liti erant, id tandem effecit HILDEBRANDUS Papa, sive  
GREGORIUS VII, qui imperium quoddam sacrum, nullis  
limitibus circumscriptum cum infanda ecclesiæ, ac totius  
cultoris orbis clade, condidit, a successoribus tantopere am-  
plificatum, ut *inferos superos in servitute redegerint, at-  
que subjugum miserint, ac cuncta fulmine perterruerint*, quæ  
verba sunt AVENTINI, *Libro V. Annalium Bojor. fol. 447*,  
ubi addit: *Utcunque libet, de cælo ad inferos præcipitant,*  
*rursus ex inferis ad æstra tollunt.* Jam Imperator Roma-  
nus nihil amplius, appellatio modo est, sine corpore, sine spe-  
cie. Execrabilis hujus dominatus, & a Christi ejusque le-  
gatorum disciplina, tantopere abhorrentis, non exigua speci-  
mina edidit HILDEBRANDUS, contendens, summorum sa-  
cerdotiorum per Germaniam constitutionem sui juris esse ac  
potestatis. Hac de causa edictum promulgavit, ne Casar  
vel

vel episcopos, vel alios sacerdotes crearet. Sed cum HENRICUS IV iure suo confusus, obniteretur, Pontifex eum a Saxonibus accusatum, & contempta Imperatoris maiestate, Romam ad causam coram tribunali Pontificio dicendam evocavit, & cum vadimonium non obiret, sacris interdictum, atque a subditis, sacramenti & obsequii religione solutis, destitutum, abrogato ipsi imperio, miserandum in modum exagitavit, nec prius ei dirarum relaxationem indulsit, quam media asperrimaque hyeme Romam pedes profectus, imperii decus fastui & libidini papali prostituisset. Cumque contra Pontificis voluntatem, idem HENRICUS imperium recuperasset, eadem sancta sedes non subditos tantum, sed ipsos etiam ejus filios ad rebellionem, & perjurium sollicitavit. Ignominiosum Imp. HENRICI iter Romanum, feralem excommunicationis formulam, & contumelias a Pontifice illatas, omnem propemodum fidem superantes, prolixè exponunt LAMBERTUS SCHAFFNABURGENSIS ad annum M. LXXVI, & sequentem, SIGEBERTUS GEMBLACENSIS & OTTO FRISINGENSIS, qui *Libro VI. Chronici Cap. 37*, tantam ferociam Pontificis his, detestatur verbis: *Legō & relego Romanorum Regum, & Imperatorum gesta, & nusquam invenio, quentquam eorum ante hunc (Henricum IV) a Rom. Pontifice excommunicatum vel regno privatum. Rem eandem, seu facinus antea inauditum, adnotarunt GOTTFRIDUS VITERBIENSIS, & ONUPHRIUS PANVINIUS in Gregorii VII historia, atque ex recentioribus NATALIS ALEXANDER H. E. Sec. XI & XII. Diff. II. Art. IX. fol. 690, ubi ex instituto probat, HILDEBRANDUM primum fuisse, qui Regum exauctorandorum, potestatem, contra Patrum doctrinam, imo contra verbum DEI, sibi tribuerit.*

Q3

§. V.



## §. V.

Cum his facinoribus consentiant famosissimi HILDEBRANDI dictatus, sive canones Papali dictaturæ stabilien-  
 dæ maxime idonei, e. g. *Solius Papæ pedes omnes principes de-*  
*osculari. Solum Papam posse uti insignibus imperialibus. Uni-*  
*cum esse nomen in mundo, videlicet Papæ; illi licere Impera-*  
*tores deponere. Illius sententiam a nullo debere retrahari,*  
*& ipsum solum omnium retrahere posse. Papam a nemine*  
*debere judicari. Ecclesiam Romanam nunquam errasse, nec*  
*errare posse. Papam posse subjectos a fidelitate iniquorum ab-*  
*solvere.* Exstant hæc aliaque tyrannidis Papalis documenta  
 apud BARONIUM ad annum M. LXXVI. Num. XXIV.  
 Tomo XI. Annalium fol. 475, nec non T. VI. Concil. HAR-  
 DUINI P. I. fol. 1304, & in Epist. LV HILDEBRANDI ad  
 Laudanenses Lib. II. Registr. T. X. Concil. LABBEI re-  
 censeantur. Equidem JO. LAUNOJUS P. VI. Epist. XIII.  
 f. 542. NATALIS ALEXANDER H. E. Sec. XI. & XII.  
 Dissert. III. f. 719. dubitarunt, utrum dictatus isti a GRE-  
 GORIO VII, in Synodo Romana An. M. LXXVI. fuerint  
 sanciti? Nobis sufficit, hanc & olim fuisse, & hodie dum  
 publicam esse curiæ Romanæ doctrinam. Fatetur BARO-  
 NIUS ad eundem annum Num. XXIV. istas sententias ha-  
 ætenu in ecclesia Catholica usu receptas fuisse. Hæc quippe  
 esse privilegia Romani Pontificis & Apostolica sedis.

## §. VI.

Multi veterum HILDEBRANDUM tanquam ferocif-  
 simam belluam, & veram suæ ætatis furiam, execrati sunt.  
 Legantur Acta Concilii Brixientis An. M. LXXXI. celebrati  
 apud HARDUINUM Tom. VI. Part. I. f. 1595, ubi ejus fec-  
 lera vivis coloribus depinguntur, nec non AVENTINUS  
 Lib.



*Lib. V. f. 455.* Sed recentiores tantorum malorum auctorem ob res adeo præclare gestas non solum divorum numero adscripserunt; \* sed nuper admodum novam, ut appellant, *Legendam*, in honorem & memoriam divi GREGORII VII conditam, promulgarunt, *Breviario Romano* adjiciendam, & in publicis sacris a sacerdotibus coram altari recitandam, in qua iste tanquam vir sanctissimus, & hanc imprimis ob causam laudatur, aliisque ad imitandum proponitur, quod contra Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta impavidus permansit, seque pro muro domus Israel ponere non timuit, ac eundem Henricum fidelium communionem, regnoque privavit, atque subditos populos fide ei data liberavit. Quod omnes cordati execratione digni censuerunt, id in Hildebrando tanquam divinum & heroicum factum omni applausu censetur dignum. Unde dilucide apparet, doctrinam Hildebrandinam in Ecclesia Romana hodiernum regnare. A nonnullis equidem Gallie episcopis novum illud additamentum Breviarii Romani improbatam, & a Summo Parisiensium, aliarumque provinciarum Gallicanarum Senatu superiori anno idem tanquam impium, & offenculi plenum, suppressum fuit. Sed curia Romana nihil non agit & molitur, ut ab universo orbe & illa recipiatur *Legenda*, & TOTATUS, hoc est, suprematus, & dominatus immensus, ab HILDEBRANDO imprimis invecus, postliminio reducat, & stabiliaturque.

\* De GREGORIO VII divi adscripto legantur *Acta Sanctorum ad diem XXV Maji Tom. VI. fol. 70. & seq.*

**Theses temporis inservituræ, & inter  
jabila A. C. secularia appendicis loco ad  
disputandum propositæ.**

**Doctrina in A. Conf. contenta nequaquam est nova.**

**II.**

**Confessionis formula a Philippo Melanchthone privato ausu  
mutata non potest dici Augustana.**

**III.**

**Genuine Aug. Confessionis nomen Symboli recte tribuitur.**

**IV.**

**Philippus Melanchthon nec solus, nec præcipuus A. C. auctor  
dici potest.**

**V.**

**Cum A. C. ab omni errore immunis sit, & cum verbo reve-  
lato exacte consentiat, idcirco non per quatenus, sed per  
quia subscribi debet.**

**VI.**

**Reformati, qui Zwinglii & Calvini doctrinam sequuntur,  
nec sunt, nec dici merentur A. C. socii.**








Aug VI 57 (1)




TA 70x  
nur 4. Stock verknüpft

P. 100







18c

Q. D. B. V.

NOVITATEM  
REGIMINIS MO-  
NARCHICI  
IN ECCLESIAM UNIVERSAM

PRÆSIDE  
SALOMONE DEYLINGIO,  
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORE, EJUSDEMQUE  
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, CAPITULI CL-  
ZENSIS CANONICO, CONSISTORII ASSESSORE,  
NATIONIS/MISNICÆ SENIORE, ECCLESIAE HUIUS LOCI  
AD D. NICOLAI PASTORE, ET DIOECESEOS  
LIPSIENSIS SUPERINTENDENTE,

IN ACADEMIA, QUÆ LIPSIÆ FLORET,  
ET IN IPSIS JUBILÆI AUG. CONF. SECUNDI  
SOLEMNIBUS

PERSPICUE EXPONET

NICOLAUS REJERSEN, HAFN. DANVS.  
DISSERT. III.

---

D. III. Julii A. O. R. clb Is ccxxx.

---

LIPSIÆ, LITTERIS SCHEDIANIS.

